



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani,
Liberi Baronis De Furstenberg**

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Alexandro VII. Pont. Opt. Max.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

ET PADERBORNENSIS POEMATA.

51

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

*U sitata SS. Patrum Conciliis comprecatione: C U J U S S E D E M
E T A N N O S , de restituta valetudine gratulatur.
An. M. DC. LXVI.*

VI VIT Alexander, mendax quem fama negabat

Longius extremum ducere posse diem.

Vivit, & Albanos colles petit, Urbe relicta,

Incolumnis: Clariæ solvite vota Deæ.

Vestra salus agitur; quæ nunc hoc fospite flor-
rent,

Incipient artes hoc moriente mori.

Hoc igitur faciles adeamus carmine Divos,

Carmine, quo sancti nos præiistis avi.

C U J U S Alexander S E D E M tenet, illius annos
Expletat, utque tulit, sic ferat Orbis onus.

Tu, cujus primum auspiciis hæc inclita Roma
Cœlitibus leges terrigenisque dedit:

Tu mea tam justam vota exorantia causam

Excipe, dum partes Urbis & Orbis ago.

En ut porticibus, pro quo precor, alta coronat
Limina supplicibus relligiosa tuis;

Ut solium augustis decorat sublime columnis,
Artis divinum se superantis opus.

Quod populus posthac his te venerabitur aris
Sæpius, hoc illi prosit, opemque ferat.

G ij

E J U S D E M P O N T . M A X .

*Summo Reipub. Christiana luctu, ac damno, XI. Calend. Jun.
An. M. DC. LXVII. defuncti Sacra Memoriae.*

QUÆ non flebilibus complevit regna que-
 relis
 Mortis, ALEXANDER, nuncia fama tuæ?
 Te Cæsar, te flevit Iber, infestaque nuper
 Gallia nunc lacrymas victa dolore dedit.
 Nec tulit irarum causas referentia stare
 Marmora Pipinis invidiosa suis.
 Orbis uterque suum fato cessisse parentem
 Credidit, & pietas omnibus una fuit.
 Omnibus ex æquo par sit data causa dolendi,
 Justior haud ulli, quam mihi causa datur.
 Amisius, mecum ante alios moestissimus, urnam
 Diciduis, in quas solvitur, implet aquis.
 Ne tamen assiduo cogar tabescere luctu,
 Virtuti cautum gratulor esse tuæ.
 Non tibi summa dies angusti terminus ævi est:
 Quamlibet invita morte superstes eris;
 Nec tibi, quæ multis, ponet fataliter ætas
 Tempora; nec famæ meta futura tuæ est.
 Qua pelagus, qua terra patet, surguntque ca-
 duntque
 Sidera, sunt meritis omnia plena tuis.
 Hadria te Thressas armis diffringere Lunas,
 Teque tuas illi jungere vidit opes.